

hanc significationem, nego Missam esse testamentum. Si tamen figurative, & per synecdochen loquentes, dicimus Missam esse testamentum, ex hac testamenti appellatione non licet colligere, quod Missa non sit sacrificium verum: quia utrumque illorum est, & testamentum, & sacrificium, diversis tamen respectibus, & considerationibus. Dicitur testamentum, quia est in testamento Christi contenta, & in illo nobis mandata. Dicitur sacrificium, quia in illa offertur Deo patri corpus, & sanguis Christi filii sui. Tam prolixè tractare volui hoc argumentum: quia Lutherus iactat se per illud triumphare de Catholicis, & canit triumphum ante victoriam. Necessarium igitur fuit, omnes hujus argumenti vires tentare, ut palam omnibus facerem, illud esse infirmum, & profusum invalidum.

Quinto argumentantur Lutherus ex ratione doni, sic dicens: Eucharistia est donum Dei, quia Christus dixit: *Accipite & comedite ex eo omnes*: ergo non potest esse oblatio nostra. Pugnant enim, ut ille ait, inter se donum, & oblatio: quia non potest quis recte alteri offerre, quod ab illo accepit. Huic argumento respondeo concedens, Eucharistiam esse donum Dei, & quidem magnum: quoniam per illud nobis, & corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini dedit: non tamen sequitur inde, quod non possimus donum illud offerre Deo. Nam hac ratione oporteret dicere, nihil nos posse Deo offerre, quia nihil habemus, quod non sit ab illo nobis donatum. Sacrificia veteris legis, quæ ex pecoribus, & avibus Deo offerebantur, verissima erant sacrificia, tamen aves illæ, & pecora illa quæ Deo offerebantur, dona Dei erant, ipse motu Deo attestante, qui per Prophetam (*Psal. 49.*) ait: *Mæ sunt omnes fera sylvarum, jumenta in montibus, & boves.* Sacrificia etiam spiritualia, qualia sunt laus Dei, cor contritum, & humilitatum, quæ omnia Lutherus ipse fatetur esse vera sacrificia, omnia sunt dona Dei. *Quid habes* (inquit Paulus (*1. Cor. 4.*)) *quod non accepisti?* Huic nostræ sententiæ favet Augustinus, qui libro primo de Civitate Dei, cap. 4. hæc ait: *Cum ad illum sursum est, ejus est altare, cor nostrum, ejus unigenito cum sacerdote placamur: ei cruentis victimas cedimus; quando usque ad sanguinem pro ejus veritate certamus; ei suavissimum adolemus incensum: quum in ejus conspectu pio sanc-to, toque amore flagramus; ei dona ejus in nobis nosque ipsos volumus & reddimus.* Hæc Augustinus. In quibus verbis id potissimum annotandum est, quod dixit, nos in nobis ipsi dona Dei offerre Deo. Non ergo pugnant, juxta Augustini sententiam, esse donum & oblationem. Melius quidem quam Lutherus intellexerat hoc David Rex, qui videns promptissimam populi oblationem, & frequentia dona, quæ populus ad futuram temporis constructionem offerebat, gratiasque Deo reddens de tam larga oblationum multitudine, inter cætera hoc dixit: (*1. Par. 29.*) *Tua sunt Domine omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Ad eundem modum facit Ecclesia Catholica, quæ sacrificans, & sacratissimam Eucharistiam Deo offerens, ait: *Unde & memores Domine nos servi tui, sed & plebs tua sancta Christi filii tui Domini Dei nostri, tam beatæ passionis, necnon & ab inferis resurrectionis, sed & in Cælos gloriosè ascensionis, offerimus preclara magnificentæ tuæ de tuis donis ac datis, hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ.* In quibus verbis Ecclesia satis aperte, & humiliter fatetur, hostiam quam Deo of-

ferre esse donum Dei ab eo illi donatum. Et inde aperte convincitur, Lutherum male calumniari Ecclesiam, falsumque illi imponere crimen, dum dicit, illam existimare se offerre aliquid de suo, ac si Ecclesia putaret oblationem illam esse proprie opus nostrum, & meritum nostrum, quo mereamur nobis, & aliis, & quod illam offeramus, tamquam si daremus Deo aliquid absolute nostrum. Nihil horum putare Ecclesiam apertissime constat ex verbis canonis Missæ, quæ nunc proxime citavimus, in quibus manifestissime fatetur, se non ex suo, sed ex dono Dei talem offerre hostiam. Constat itaque ex his omnibus non esse rationi naturali contrarium, ut aliquid sit donum, & oblatio. Prius quidem donum, & postea oblatio. Per donationem fit nostrum, quod antea non erat nostrum. Postquam semel donatum est, si is qui illud accepit, offerre voluerit, tunc non ex alieno, sed ex eo quod per donationem factum est suum, offeret. *Filius Dei* (inquit Blasius (*cap. 9.*)) *datus est nobis: & ideo merito nostri dici potest.* Neque solum filium dedit nobis pater, sed omnia etiam, quæ filii sunt propria, videlicet corpus, sanguinem, famem, sitim, lacrymas, labores, mortem denique illius. *Qui proprio filio suo* (inquit Paulus (*Rom. 8.*)) *non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Cum igitur filius Dei, & omnia illius merita sint nobis donata, merito possimus illum, & omnia bona illius, veluti jam nostra, Deo offerre. Nam passionem & mortem Christi offerere Deo in satisfactionem pro suis debitis, qui dicebat: (*Psal. 115.*) *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutis accipiam, & nomen Domini invocabo.* Agnoscebat se multa bona accepisse, & volens pro tantis donis aliquid Deo tribuere, nihil apud se invenit, quod Deo reddere posset: & ideo calicem salutaris, hoc est passionem Christi, qui est salutaris nostrum, accipere statuit, ut illud Deo offerat in tantorum debitorum compensationem.

Sexto, argumentatur Lutherus, sic dicens: Idem simul recipi, & offerri non potest, neque ab eodem simul dari & accipi: ergo Sacerdos non potest dici quod offerat Eucharistiam, quam ipse totam sumit. Est enim natura sacrificii, ut totum Deo offeratur, & nihil hominibus relinquatur. Cur ergo Sacerdotes totam panem comedunt, & totum vinum bibunt, nihil relinquentes Deo? Hoc enim potius est auferre Deo, & nobis dare, quam offerre Deo: est ergo repugnantia inter Missam, & sacrificium, quia sacrificium offertur, Missa sumitur. Hæc est Lutheri argumentatio eisdem fere verbis narrata, quibus ab illo descripta est. Non possum non mirari, quod sophismate tam nugaci, & tam aperto Lutherus in re tam seria se firmet, cum ipse alias non semel, aut iterum omnes argumentationes, & dialecticas rationationes, à rebus sacris abigat, insimuletque recentes Theologos, quod eas sacræ Theologiæ intulerint. Quamobrem optime possum nunc dicere illud Poetæ: *Non est in nobis, in quoq; non horripedem rectus derideat, Bishopem albus.*

Sed hæc missa faciamus, & reddeamus ad argumenti responsum, & ostendamus intolerabilem Lutheri impudentiam, qui non veretur apertissima mendacia, & sacræ scripturæ palam contraria assumere in suo argumento, ad suæ petitiæ hæresis probationem. Falsum est enim quod ait, naturam sacrificii esse, ut totum Deo offeratur, & nihil hominibus relinquatur. Nam plurima sacrificia legis Mosaicæ sumebant Sacerdotes, qui offererebant ea. Numquid edebat Deus omnia quæ illi offe-

rebantur? Audi ipsam Deum reprehendentem futuram Lutheri dementia. (*Psal. 49.*) *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregebus tuis hircos, quoniam mæ sunt omnes fera sylvarum, jumenta in montibus & boves. Cognovi omnia volatilia cæli, & pulchritudo agri mecum est. Si eferius non dicam tibi: meus est enim orbis terræ, & plenitudo ejus. Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Si Deus non comedebat carnes, quæ tunc illi offererentur, numquid peribant illæ? Non certe: sed multa ex Domini præcepto manebant penes Sacerdotes. Fateor fuisse aliquid sacrificium, quod dicebatur holocaustum: quia totum comburebatur igne: & ideo nihil ex eo manebat, quod posset à Sacerdotibus comedari. Hoc tamen non erat ex natura sacrificii, sed ex peculiari modo offerendi illud: quia alias oporteret omnia sacrificia esse ejusdem conditionis, si hoc contingebat in holocausto esse ipsa sacrificii natura, ut nihil maneret ex eo penes offerentes. Constat autem multa fuisse in illa lege sacrificia, quorum vel partem aliquam Sacerdotes ex præcepto legis comedere tenebantur, prout manifeste constat ex capite secundo, & quinto, & septimo Levitici.*

Hæc sunt potissima argumenta, quibus hæretici conantur fure Missam non esse sacrificium. Alia adhuc facit Lutherus, alia etiam Joannes Calvinus: sed quia debilissima sunt, causa prolixitate vitandæ præterii. Indigna funder mihi visa sunt, ut pro illorum responso chartas implem, aut minimum tempus consumerem. Contra hæc hæresim scripserunt multi, videlicet Jodocus Clithoveus in suo Antiluthero parte tertia, Gaspar Sagerus Minorita, Albertus Pighius in libro controversiarum Ratisbonæ habitarum controversia quinta. Joannes Ecchius librum integrum de sacrificio Missæ composuit, in quo prolixè satis rem istam pertractat. Post istos omnes scripsit Joannes Hoffmeyer Augustinianus, qui etiam defendit Canonem Missæ, quem Lutherus non est verius calumniari, & mille convitiis afficere.

Tertia hæresis est, quæ ait Missam non posse offerri pro peccatis, nec posse prodesse vivis, aut defunctis, sed soli Sacerdoti. Hujus erroris auctor est etiam Lutherus, dicens impium esse, si Missa canatur pro peccatis. Ecce quibus gradibus progreditur diabolus, ut homines ad tartara ducat. Primum ad peccatum allicit & impellit, deinde à remedio avocet, ne peccatorum cicatricibus subveniatur. Sed claudamus aures ad vocem, aut sibilum serpentis venenosus, & audiamus Paulum dicentem: (*Heb. 5.*) *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus conficitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* At quomodo Evangelicum Sacerdotium (ut in præfata hæresi ostendimus) nullum aliud habet sacrificium, quam Eucharistiam, convincitur inde, ut illam Sacerdos offerre possit pro peccatis, non tantum suis, sed etiam pro peccatis populi. Nam post illa verba adducta, Paulus de eodem Sacerdote sermonem faciens, subjungit. *Qui nondum possit his qui ignorant, & errant quoniam & si ipsi incognitus est in firmitate, & proprietate debet quem admodum pro populo, & ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis.* Ecce qualiter Pauli testimonio omnis Sacerdos offerre sacrificia non solum pro suis, sed etiam pro populi peccatis. Et cum Sacerdotium Evangelicum nullum aliud habeat, quod possit offerre sacrificium, sequitur quod illud potest offerre Sacerdos pro peccatis populi & suis. Præterea hoc ipsum confir-

mat inveritata Ecclesiæ consuetudo, quæ non ex permissione Ecclesiæ tolerata est, sed ex præcepto, & decreto ejusdem hucusque servatur. Nam juxta illum celebrandum, quem Catholica Ecclesia observandum tradidit, Sacerdos ante Eucharistia consecrationem sub silentio orat pro vivis, ut illis proficiat ad salutem animæ, & corporis illa sacrorum mysterium oratio. Post consecrationem vero Sacerdos duplex Deum orat pro defunctis, ut per virtutem illius sacratissimæ oblationis Deus dignetur illis defunctis indulgere locum refrigerii, lucis & pacis. Et hæc consuetudo quam hodie Ecclesia tenet, non est recens, ut hac occasione eam contemnere audeat Lutherus. Nam beatus Chrysostomus homilia sexagesimona, Bernardo Brixiano interprete, testatur eam consuetudinem emanasse ab Apostolis. Sic enim ait: Non temere ab Apostolis hæc sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum posse contingere lucrum, utilitatem multam. Quum enim totus confiteretur populus extensis manibus, Sacerdotialis plenitudo, & tremendum proponatur sacrificium, quomodo Deum non exorabimus pro his deprecantes? Hæc ille.

Sed multo sunt manifestiora, quæ idem Chrysostomus in ritu Missæ ab eo edito, quem nuper in Latinam linguam vertit, Gentianus Herveus. Nam circa initium ejusdem ritus, hæc ait: *Sciendum est quod si sunt plurimi Sacerdotes, qui sacrum ministerium obeunt, Sacerdos qui fecit oblationem, ipse etiam sacrum ministerium incipit. Ipse etiam dicit exclamationes. Diaconus alta voce. In pace, Domine oremus. Chorus. Domine miserere. Diaconus. Pro superna pace, & salute animarum nostrarum Domine oremus. Chorus. Domine miserere. Diaconus. Pro pace totius mundi, tranquillitate sanctarum Dei Ecclesiarum, & omnium unione, Domine oremus. Chorus. Domine miserere. Diaconus. Pro hac sancta domo, & iis qui cum fidei religione, & Dei timore ipsam ingrediuntur, Domine oremus. Chorus. Domine miserere. Diaconus. Pro Archiepiscopo nostro, venerabili Presbytero, in Christo Diaconatu, universo Clero & populo, Domine oremus. Chorus. Miserere Domine. Diaconus. Pro religiosissimis, & à Deo custoditis nostris Imperatoribus, toto palatio, & eorum castris, Domine oremus. Chorus. Miserere Domine. Diaconus. Ut una bellum gerant, & omnem inimicum, & adversarium suis pedibus subjiciant, Domine oremus. Chorus. Miserere Domine. Diaconus. Pro hac sancta civitate, regione, & iis qui fide in ea habitant, Domine oremus. Chorus. Domine miserere. Diaconus. Pro bona aeris temperie, fructuum terræ fertilitate, & pacificis temporibus, Domine oremus. Chorus. Miserere Domine. Diaconus. Pro navigantibus, iter facientibus, agrotantibus, captivis, & ipsorum salute, Domine oremus. Chorus. Miserere Domine. Diaconus. Ut nos liberemur ab omni afflictione, ira, periculo, & necessitate, Domine oremus. Chorus. Miserere Domine. Ecce Chrysostomum docentem Missæ sacrificium offerri, non solum pro ipso Sacerdote, sed etiam pro omnibus aliis etiam laicis, presentibus & absentibus: nec solum pro rebus spiritualibus, sed etiam corporalibus. Quod autem possit pro mortuis offerri, & illis proficere, ostendit idem Chrysostomus in principio ejusdem tractatus, ubi docet pro quibus Sacerdos offerre debet, sic inquit:*

Pro

Pro recordatione & remissione peccatorum eorum, qui extruxerunt hanc sanctam mansionem. Deinde meminit Pontificis qui eum ordinavit, & aliorum ex iis qui dormierunt, quos vult nominatim. Et postremo sic subiungit. Et omnium qui in spe resurrectionis, & vite æternæ dormierunt, orthodoxorum patrum, & fratrum nostrorum, benignè, & clemens Domine: & extolli te partem. Diaconus autem accepta etiam ipsa oblatione, & sancta sanctorum, meminit eorum, quos vult ex vivis & mortuis, & postremo sic dicit. Memento Domine etiam meæ indignitatis, & condona mihi omne peccatum voluntarium. Deinde, meminit etiam eorum quos vult, ex vivis, & ex mortuis: & in alia oblatione similiter eorum, qui dormierunt. Hæc omnia Chrysofomus in illo suo ritu Missæ. Sed forte hæretici dicent Chrysofomum in his omnibus docere, orandum esse in Missa pro vivis & defunctis, non autem pro illis sacrificandum, & corpus Christi offerendum esse. Ne tamen hæc via effugere possint, quin ab eodem Chrysofomo condemnentur, audiant ipsum Chrysofomum in eodem tractatu, quid iubeat Sacerdotem secreto dicere in oratione fidelium, postquam explicitum est corporale. Hæc enim sunt verba orationis, quam à Sacerdote dicendam esse, instituit. Gratias agimus tibi Deus virtutum, qui dignatus es nos etiam nunc sancto tuo altari sistere, & ad miserationes tuas pro peccatis nostris, & populi ignorantis providere, suscipe Deus deprecationem nostram. Fac nos esse dignos, ut offeramus tibi preces, supplicationes, & incruenta sacrificia pro toto populo tuo: & fac nos idoneos, quos in hoc ministerio posuisti, ut in potestate Spiritus Sancti, elera condemnationem, & offensionem in puro nostre conscientia testimonio, te invocemus in omni tempore & loco, ut nos exaudiens, sis nobis propitius in multitudine tuæ bonitatis. Hactenus Chrysofomus. In quibus verbis apertissime declarat, Sacerdotem in Missa non solum preces, & supplicationes offerre: sed etiam sacrificia incruenta corporis, & sanguinis Christi, & illa sacrificia docuerat posse offerri pro vivis & defunctis, pro pace, & pro bello, & pro aliis id genus multis, tam temporalibus, quam æternis bonis.

Et beatus Ambrosius in quadam epistola consolatoria ad Faustinum de morte sororis, apertum de hac re perhibet testimonium, cum ait: Ego non tam deplorandam, quam orationibus prosequendam reor, non mendicandam lachrymis, sed magis oblationibus animam ejus Domino commendandam. Hæc ille. Beatus Augustinus libro nono Confessionum suarum, matrem suam, Catholicam & sanctam mulierem commendat, quod instantis resolutionis fuerat die, non de sepulchri honore, sed solum de hoc uno esset sollicita, ut frequens illius memoria in altaris sacrificio fieret, in quod sciebat offerri viciniam illam sanctam, qua delerum est peccati chirographum. Cyprianus Martyr his omnibus multo vetustior, lib. 1. epistolarum suarum epistola nona de Victore quodam scribens, qui contra decretum Episcoporum, Presbyterum quemdam reus suarum auctorem contingerat, & ipsius decreti tenorem subiiciens, dicit: antecessores nostros Episcopos salubriter instituisse, ne quis frater excedens de sæculo ad tutelam, aut curam bonorum suorum, Clericum nominaret. Quia si quis hoc fecerit, non offeratur pro illo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebretur. Nec enim ad altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui Sacerdotem ab altari vo-

luerit avocare. Hæc decretum Episcoporum ante Cyprianum, ex cujus verbis apertissime convincitur, eo tempore sacrificium altaris pro defunctis offerri. Sed audiamus quid de illo Victore Cyprianus juxta præfatum Episcoporum decretum, faciendum esse censet: Et ideo (inquit Cyprianus) Victor, cum contra formam nuper à Sacerdotibus datam, Geminium Faustum Presbyterum ausus sit auctorem consistere, non est quod pro dormitione ejus, apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua in Ecclesia ejus nomine frequentetur: ut Sacerdotum decretum religiose, & necessitate factum servetur à nobis: simul & cæteris fratribus detur exemplum, ne quis Sacerdotem Dei ad sæculares molestias devocet. Hactenus Cyprianus. Sed & Tertullianus non fere integro sæculo Cypriano vetustior, hujus consuetudinis in Ecclesia servatæ meminit, qui in libro De corona militis, inter illas antiquas Ecclesiæ consuetudines, quibus scripto Apostolicam auctoritatem, quamvis sint nobis sine scripto commendatæ, hæc etiam de sacrificii oblatione commemorat. Tertullianum per septuaginta, aut octoginta annos præcessit Alexander Papa hujus nominis primus, qui in epistola quadam, quam ad omnes fideles misit, differens de oblationibus corporis & sanguinis Domini, quæ in Missa Deo offeruntur, hæc ait. Crimina enim atque peccata oblationibus his Domino sacrificiis, delentur. Idcirco, & passio ejus in his commemoranda est, qua redempti sumus, & sæpius recitanda, atque hæc Domino offerenda. Tali- bus enim hostiis delectabitur, & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia. Nihil enim in sacrificiis majus esse potest, quam corpus, & sanguis Christi, nec ulla oblatio hæc potior est, sed hæc omnes præcellit: quæ pura conscientia Domino offerenda est, & pura mente sumenda, atque ab omnibus veneranda, & sicut potior est cæteris, ita potius excollit, atque venerari debet. Hæc Alexander Papa & Martyr, qui sexto à beato Petro Romanæ sedis Episcopatum tenuit. In quibus verbis multa annotare oportet. Primum est quod ait, oblationem corporis & sanguinis Christi in Missa fieri: & postea subdit, tales oblationes valere ad remissionem criminum, & peccatorum. Dicit tertio, hæc oblationem esse omnium præstantissimam, & Deo gratissimam. Ex qua sententia fortissimum sumitur argumentum ad convincendum, quod Missæ sacrificium possit non solum Sacerdoti, sed etiam aliis prodesse. Nam sacrificia legis nature proficiebant, non solum offerentibus, sed etiam illis pro quibus offerbantur, ut aperte constat testimonio Job, (cap. 1.) qui offerebat per singulos dies pro filiis suis ne forte peccassent. Sacrificia enim legis Mosaicæ, non solum proderant Sacerdoti sacrificanti, sed illis pro quibus offerbantur, ut constat ex multis oblationibus, quas pro peccatis lex fieri præcepit, (Levit. 4.) quarum aliquæ erant pro peccato Sacerdotis, aliæ pro peccato Principis, aliæ pro peccatis populi. Cum igitur sacrificium Missæ, ut Alexander Papa & Martyr testatur est, sit multo præstantius omnibus aliis sacrificiis, convincitur inde, ut etiam pro aliis offerri, & illis prodesse possit, perinde ac olim sacrificia legis nature, & legis Mosaicæ. Quid igitur Lutherus contra tam antiquam Ecclesiæ consuetudinem, tot sanctorum virorum testimonio comprobata, præsumit? Melius est igitur, ut tam certam Ecclesiæ consuetudinem imitemur, quam præsumptuosam Lutheri novitatem. Sed hæc hujusmodi sententia, Concilii Cabilonensis decretum de hac re sic definit: Antiquitus hunc morem sancta tenet, Ecclesia, ut

ut & Missarum solemnibus, & aliis precibus Domino spiritus quiescentium commendetur, dicente Augustino. Non sunt præmittendæ supplicationes, quas faciendas pro omnibus in Christiana, & Catholica societate laudamus. Hæc Concilium Cabilonense. Sed ut verum fatear hujusmodi Concilii decreta non habentur in eo volumine, in quo sunt omnium Conciliorum decreta congesta: sed illud fragmentum habui ex Gratiano, qui in volumine decretorum de conse. distint. 1. in capite visum est, citat illud Concilii decretum. Sed Lutheri objectionibus respondere oportet. Sic enim argumentatur: Communio unius laici alteri laico prodesse non potest: ergo Sacerdotis Missa non potest populo prodesse. Hoc loco misere cæcavit Lutherus, non videns hoc inter Sacrosanctum, & laicos interesse, quod olim interstiti inter Apostolos & manum Christi recipientem. Eucharistiam, & ipsum Christum Apostoli proutem. Sicut enim laicus nunc recipit à manu Sacerdotis, ita tunc Apostoli à manu Christi. Sacerdos autem facit, quod tunc fecit Christus: quoniam idem corpus conficit ex pane, quod tunc fecit Christus. Idem corpus offert Deo, quod postea in ara crucis obtulit Christus. Quis autem non videt ineptissimum esse argumentum, quo quis probare vellet Christi consecrationem nullo modo nobis prodesse, eo quod Apostoli recipientes nihil nobis profuerunt? Si hoc esse invalidum argumentum nemo est qui non videat, cur etiam simillimi argumenti ineptia non erit aperta, quam argumentatur unum Sacerdotem non posse pro aliis offerre, propterea quod unus laicus non potest pro alio communicare? quoniam (ut diximus) Sacerdos Christi locum tenet, laicus vero communicans personam agit Apostolorum. Secundo, quasi ad eundem lapidem offendens, sic objicit Lutherus: Unus homo non potest pro alio baptizari, nec pro alio uxorem ducere: ergo nec unus homo poterit pro alio offerre. Huic objectioni respondemus, quod non sunt omnia sacramenta ad eundem gnomen examinanda, cum non sit omnium illorum æqua vis & potestas. Cum ergo hoc Sacramentum reliquis sit æquale, non tamen inde colligere licet tam exactam istius Sacramenti ad alia similitudinem. Nam eodem argumento etiam convinceretur, Sacerdotem non posse Eucharistiam à se consecratam suscipere, sed oportere illum recipere à manu alterius Sacerdotis, quia Sacerdos est claves habeat, quibus absolvere potest alium penitentem, non tamen perinde potest seipsum absolvere. Ergo eodem modo oportere fateri, quod licet possit conficere, & alteri communicare non tamen sibiipsi. Verum hæc non ita se habent, quoniam non oportet Sacramenta esse sibi invicem adeo similia, ut nullum sit inter illa discrimen. De hac re amplius dicitur infra, cum de suffragiis defunctorum disputabimus.

Alii sunt plures errores, qui ad Missæ celebrationem pertinere videntur. Sed illos jam supra in titulo de Eucharistia recensimus.

MONACHATUS.

Ille humani generis antiquus hostis, ad hunc usque diem quacumque potest tenet, ut homini nocent, & impedit illum à consecratione beatitudinis æternæ, ad quam creatus à Deo fuerat. Cum ergo videret demon plures pro monachatus susceptionem suos laqueos evasisse,

& æternam consecutus fuisse gloriam: ne alii illorum exemplo similiter ejus laqueos evadant, hoc unum curavit, monachatum detrahere, ut vel sic ab illius susceptione homines averteret. Neque ut hoc faceret defuerunt illi ministri, quos calliditate sua serpentina decipit, ut illi in eandem damnationem postea inducerent alios. Primi ergo demonis ministri fuerunt Vvaldenses, qui in tantam proruperunt insaniam, ut dicerent mendicantium religiones fuisse malorum demonum inventionem. Hoc enim illis impingit Æneas Sylvius, libro de origine Bohemorum, cap. 35. Guido tamen hujus erroris non meminit, etiam cum Vvaldensium errores recenser. Eodem fere tempore quo Vvaldenses, aut parum postea quidam Vvithelmus de Sancto Amore scripsit librum, in quo persuadere conatus est hominem non posse salvari in ordine mendicantium. Sed hunc librum Alexander Papa quartus damnavit, ut hæreticum, & præcepit sub excommunicationis pena, ut quicumque illum haberet, combureret. Post istos hunc eundem errorem suscitavit Joannes Vvicleph, qui non solum monachos mendicantes, sed omnem monachatum atrociter est insectatus. Hic enim dixit neminem posse salvari in religione privata, immo dicit omnem qui in privata religione existit, esse ineptum, & inhabilem ad observantiam mandatorum Dei. Quapropter addidit, eos qui religiones instituerunt, videlicet Benedictum, Franciscum, Dominicum, &c. vult se damnatos, eo quod religiones instituerunt, nisi forte de hoc penituerint. Hunc Vviclephi insanum & impium errorem jam sepultum, ab inferis suscitavit hoc nostro sæculo Martinus Lutherus, dicens non esse licitum hominem obligari ad aliquid agendum ultra id, quod Dominus nobis præcipit, sed libere vivendum esse, cui liber, & non sub lege humana. Quapropter liberam tribuit monachis potestatem exundi à monasteriis, & uxores ducendi, si volunt. Immo in multis Germaniæ oppidis coacti sunt monachi relinquere propria monasteria, quia non permittitur eis in illis habitare, nisi cucullam exuant, & uxores ducant. Contra horum omnium errorem decrevi, nihil in hoc opere scribere, ne forte dicatur de me, eo quod sim ipse etiam monachus ex instituto Franciscano, quod meam ago causam, & quero quæ mea sunt, & non quæ Jesu Christi. Et videtur mihi rem cessuram in majorem monachatus gloriam, si causa illius ab aliis agatur quam ab ipsismet. Et cum non defuerint qui strenue pro nobis in hac parte pugnaverint, non est cur nos arma sumere debeamus. Joannes Episcopus Rossensis in eo opere, quod contra Lutheri captivitatem Babyloniam, ædidi pro monachis de Lutero triumphat. Jodocus Clithoveus vir non minus pius, quam doctus librum unum in favorem monachatus ædidi, & alibi sæpe pro votis monasticis causam agit, præsertim in eo opere, quod dicitur Antilutherus, in cujus libro tertio pro hac sola causa pugnat, & in alio quod fecit pro assertionem veritatum definitarum in Concilio Senonensi. Olim scripsit beatus Chrysofomus adversus vituperatores vitæ monasticæ libros tres. Et si quis nostros non designatur, beatus Thomas in favorem monachatus scripsit contra præfatum Vvithelmum de Sancto Amore librum unum. Albertus Magnus defensorum mendicantium composuit, Thomæ Vvaldensis Carmelita, in primo tomo doctrinalis fidei antiquæ circa finem longum de hac re facit tractatum, qui mea sententia omnes adversariorum calumnias nullius esse momenti apertissime ostendit. Verum ne quis me incuset, quod istorum hæreticorum sententiam inter hæ-

refes collocaverim, nulla adducta ratione propter quam censetur merito fuisse damnata, Ecclesiae Catholicae definitionem proferam, quae sola majoris est ponderis quam mille ratiocinationes aut syllogisticae collectiones. Ex 45. articulis Joannis Vvicleph in Concilio Constantiensi sessione 8. damnatis, multi sunt ad hanc rem pertinentes. Nam vicesimus articulus sic ait: Si quis ingreditur religionem privatam qualemcumque tam possessionatorum quam mendicantium, reddidit inepitior & inhabilior ad observationes mandatorum Dei. Vicesimusprimus articulus sic ait: Sancti instituentes religiones privatas, sic instituentes peccaverunt. Vicesimus secundus articulus sic dicit: Religiosi viventes in religionibus privatis, non sunt de religione Christiana. Ad idem pertinent articuli 33. & 44. Hi autem articuli omnes damnati sunt in Concilio Constantiensi sessione 8. Cum ergo sit tam expressa Ecclesiae definitio non est opus ut monachi pro se pugnent, aut causam iterum ad litem revocent. Et si quis nos ad contentionem vocaverit, melius est non contendere, sed causam pro nobis dictam ostendere. Caeterum de una sola re hic volo admonere lectorem, ut advertat qui sunt illi qui monachatum deorahunt, quoniam nullus umquam monachatum detraxit, nisi homo voluptuosus, illecebris deditus, quales ego saepe notavi. Et ita sunt tanquam canes in praecipio, prout dicitur in proverbio: quoniam nec ipsi viam virtutis capessere volunt, & capessentibus, si qui sunt, laqueibus & morsibus obstant. Hoc autem ideo faciunt, ut videlicet sua occulunt scelera. Nam qui pravam vitam duxerit, alios ut nequiter vivant hortabitur, quoniam latere existimant sua flagitia, si alios habuerit suorum scelerum imitatores, & tanto minus notari credit, quanto plures habuerit in crimine socios. Et tanto contra magis timet pudore confundi, quanto plures fuerint virtutes cultotes. Vitium namque ex comparatione virtutis vilescit. Quaedam alia quoque ad monachatum pertinent, jam superius pertractata sunt, cum de mendicitate ageretur, & inferius amplius dicemus, eum de votis disputabimus.

M. U. L. I. E. R.

**E**ST quaedam haeresis asserens mulieres juste posse ad sacerdotium promoveri. Hujus haeresis auctores sunt Pepusiani, sic dicti (ut ait Augustinus libro de haeresibus, cap. 27.) a quodam oppido quod vocabatur Pepusa, ex quo loco dicunt fuisse oriundum Montanum haereticum. Hunc errorem ante mille & trecentos annos sepultum, Lutherus suscitare conatus est, qui ad nihil aliud natus esse videtur, quam ad revocandum & reducendum in Ecclesiam pestilentes errores ab eadem jam olim explosos atque ejectos. Haec haeresis facile convincitur, si consideremus quae sint Sacerdotis partes, aut quod illorum sit munus & officium. Sacerdotis partes sunt tres, juxta quas Sacerdos a non Sacerdote secernitur. Nam Sacerdoti soli competit corpus Christi ex pane conficere. Eiusdem Sacerdotis munus proprium est peccata in confessione audire, & illis auditis, peccatorem ab illis absolvere. Ad Sacerdotem etiam pertinet ex officio docere. At cum nullum istorum competere possit mulieri, convincitur mulierem non posse ullo modo ad sacerdotium promoveri. Quod enim mulier non habeat potestatem consecrandi Eucharistiam, inde colligitur quod talis potestas fuit a Christo Sacerdotibus viris collata in cena ultima, cum Apostolus dixit: *Hoc facite in meam commemo-*

*rationem.* Arcum Christus haec verba dixit, nulla sibi aderat mulier ad quam illa verba possent referri. Non fuit ergo tunc a Deo talis potestas mulieri collata. Quod si consecrare non possunt ergo nec penitentes absolvere, quoniam haec potestas quae circa corpus Christi mysticum exercetur, ininitur alteri potestati, quae est circa corpus Christi verum, sicut umbra pendet ex corpore, quia primam potestatem Christus contulit Sacerdotibus in cena ultima ante mortem: secundam vero ipsis postquam a mortuis resurrexerat, cum videlicet existens in medio Apostolorum dixit eis: (Joan. 20.) *Quorum remisistis peccata, remissa erunt, &c.* Si a muliere ergo primam auferas potestatem, sit ut necessario etiam auferas secundam. Praeterea, cum hanc absolvendi potestatem Apostolis tribuit, nulla aderat mulier, sed soli viri, puta decem Apostoli, prout Joannes Evangelista refert: (*Ibidem.*) ergo (ut de consecratione colligimus) talis potestas absolvendi non fuit a Deo mulieribus collata. Rursum, si non esset aliquod scripturae testimonium ad probandum mulieres non posse confessiones peccatorum audire, hoc solum sufficeret, quod mulieres male audiunt de taciturnitate, nec immerito, cum hoc sit illis nativum & genuinum, ut parum probe taceant si quid audierint secretis. Sunt enim natura garrulae. Quo fit, ut quo eam magis secreto astrinxeris, eo libentius postmodum effundat. Consultus ergo Deum egisse credimus, quam Lutherus docet. Nam minime expediebat, ut omnia in ejus aures effunderemus, quae perviam & patulam habet viam ab auribus ad linguam. Tertium quod Sacerdoti convenit ex officio, est doctrina. Illis enim incumbit alios docere, secundum quod Dominus per Malachiam Prophetam cap. 2. ait: *Labia Sacerdotum custodiunt scientiam, & legem requirent de ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.* Hoc autem munus non posse ullo pacto mulieribus permitti, Apostolus Paulus testatur, qui aperitissime mulieribus interdicit, ne docere praesumant, dicens: (1. Tim. 2.) *Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permittitur, neque domitari in virum, sed esse in silentio.* Si ergo mulier non potest docere, neque Eucharistiam conficere, neque absolvere: convincitur ut etiam Sacerdos esse non possit. Accedit ad haec, totius Catholicae Ecclesiae perpetuus usus, quae nunquam permittit mulierem Sacerdotis officio fungi: Et certe si quisque adverterat quania sit Sacerdotii dignitas, & quantum reliquas omnes dignitates excedat, illico cognosceret merito fuisse talem dignitatem mulieribus denegatam. Nam mulieres oportet esse subditas viris, quia (ut ait Paulus (Ephes. 5.) *caput mulieris vir.* Mulieres patiuntur prudentiae defectum, & ideo faciles sunt, ut decipiantur. Prima est enim seducta mulier in praevicationem. (Eccles. 7.) *Mulieres sunt natura inconstantes & mobiles: Sicut Sapiens ait: (Prov. 6.) Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni.* Et iterum alibi: (Prov. 31.) *Mulierem fortem quis inveniet? Procul & de ultimis finibus pretium ejus.* Mulieris natura sunt fragiles, & ideo beatus Petrus vocat mulierem fragilissimum vasculum. (1. Petr. 3.)

Theophylactus interpretans illud Pauli: (1. Tim. 2.) *Mulier seducta in praevicatione fuit*, sic ait: „ Quia semel „ mulier virum edocuit, & cuncta pervenit, idcirco nequaquam haec habet velim docendi de caetero potestatem. Est namque mulier natura levior, & facile fallitur. Adverte autem quemadmodum non Evam dixerit deceptam esse, sed mulierem, tamquam de ipso muliebri genere differuisset. Nam quemadmodum natura omnis „ hu-

humana in Adam perditam est, sic & per Evam in omnino femineum genus delapsa est levitas quae & praevicacitas ipsa primum Evam invasi. Haec Theophylactus. Cum ergo mulieres tot naturales patiantur defectus, non est credendum fuisse illis commissum tale officium, ad cuius debitam executionem maxime exigitur, ut illis omnibus defectibus careat, qui illud exercere debet.

MUNDUS.

**H**IC aperitissime comperimus verum esse quod in primo hujus operis libro docuimus, bonam haereticam partem a gentiliis librorum lectione ortum habuisse. Nam cum plures fuerint de natura mundi & illius qualitate haereses ortae, fere omnes ex philosophorum officina prodierunt. Est enim quaedam haeresis docens materiam elementorum, ex qua factus est mundus, non esse factam a Deo, sed esse Deo coaeternam. Hujus erroris auctores fuerunt Seleucus a quo Seleuciani, & Hermias a quo Hermiani. Sic enim de illis refert beatus Augustinus, in lib. de haeresibus, cap. 59. Eundem errorem post multa tempora docuerunt Albanenses. Eidem adhuc quidam Hermannus Ruilsvich Holandinus, de quo jam supra habitus est sermo. Hic autem & Albanenses absolute dixerunt, mundum fuisse ab aeterno. Quis non videt hunc errorem ex Aristotelis schola prodisse: Si contra Aristotelem esset nobis pugnandum, durum certe & laboriosum esset futurum certamen, quoniam contra illum parum agerent scripturae sacrae testimonia. Verum cum adversus eos sit nobis designata pugna, qui Christo nomina in baptismo dederunt, facillime de illis triumphabimus. Aperitissima certe & notissima sunt ea quae in primo capite Geneseos de mundi creatione differuntur. Et Joann. Evangelista de filio Dei loquens, cap. 1. ait: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Et iterum ibidem. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est.* Nullus ergo dicere audeat mundum fuisse ab aeterno, cum beatus Joannes tam aperte dicat, mundum esse factum a Deo.

Secunda haeresis docet mundum non finitum. Hic etiam error ab Aristotele docetur. Post Aristotelem autem, ex illis qui se Christianos jactant, Albanenses eundem tutantur errorem, dicentes mundum nunquam finitum, sed semper hoc in statu mansurum. Quod si capiant mundum pro sola elementorum & caelorum substantia, certe eorum sententia non est haeresis censenda, quoniam etiam peracto judicio universalis caelum manebit, & elementa manebunt juxta eorum substantiam, immo puriora quam nunc sunt. Si vero capiant mundum pro habitatoribus mundi, prout capit Joannes cap. 1. cum dicit: *Mundus eum non cognovit.* Et iterum cap. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret:* juxta hanc mundi significationem error est apertus, dicere mundum non esse finitum, ita ut nunquam desint generationes hominum in eo habitantium: quoniam (ut supra contra eosdem Albanenses probavimus) judicium universale est futurum: in quo omnes comparebunt ut recipiat unusquisque mercedem suam, sive bonam sive malam, prout in corpore gesserit. At si mundus non finietur, non poterit generale judicium fieri, quoniam quod infinitum est, nunquam poterit in unum comprehendi. Cum ergo constet judicium universale esse futurum, oportet ut mundus aliquando finietur.

Tertia haeresis docet, mundum esse creatum non a Deo, sed ab Angelis. Hic error etiam videtur prodississe

ex officina Aristotelica. Nam quamvis Aristoteles negaverit mundum creatum, dixit tamen omnia quae in istis inferioribus fiunt, fieri ab intelligentiis, quoniam quae a Deo immediate fiunt, dixit Aristoteles fieri necessario; quapropter dicebat res contingentes fieri ab intelligentiis. Ex quo errore haussit videtur haeretici, dicentes mundum esse factum ab Angelis. Hujus haeresis primus auctor fuit Simon Magus, quem secuti sunt plures alii, videlicet Menander ejusdem Simonis discipulus, & Saturninus, a quo Saturniani, Nicolaitae, Carpocratiani, Cerinthus, & Archontici, qui sic appellati sunt a principibus quibus mundi creationem tribuunt. Istorum omnium communis error jam supra prostratus est in tit. de creaturis, haeresis prima. Illo enim loco probavimus ex sacris litteris omnia esse creata a Deo, & a nullo alio.

Quarta haeresis fuit quorundam dicentium mundum esse factum a Deo: sed hi ponunt plures Deos, quorum uni tribuunt hujus mundi creationem, alterum autem nihil produxisse dicunt. Et hic error etiam ex fabula gentilia deductus esse videtur. Nam Gentiles fere omnes credebant deorum multitudinem. De hoc errore jam supra differimus in titulo de Deo, haeresi prima. Ibi enim ostendimus ex sacris litteris solum unum esse Deum, eumque esse creatorem caeli & terrae. Qui ergo auctores erroris hujus nosse cupit, ex illo loco discat.

Quinta de hac re haeresis est, quae asserit hunc mundum etiam post resurrectionem mortuorum in eodem statu, in quo nunc est, esse mansurum: neque ita esse mutandum ut sit caelum novum, & terra nova. Hanc haeresim inter alias recenset Philaster Brisensium, in suo libello de haeresibus, nullum tamen illius declarat auctorem. Beatus Augustinus etiam in suo opusculo de haeresibus, cap. 67. hujus haeresis post Philastrum meminit, neque ullum etiam illius indicat patronum. Hanc haeresim aperta sacrae scripturae testimonia condemnant. Nam in Psalm. 101. Propheta ait: *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt caeli. Ipsi peribunt, tu autem idem in aeternum permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent: & velut amicum mutabis eos, & mutabuntur.* Vide quoties caelorum mutationem indicat. Nam dicit illos perituros, & velut amicum mutandos: quod haud dubie idem est. Non enim caeli omnino peribunt: sed in melius mutabuntur. Nam beatus Hieronymus in commentariis super 65. Esaiam caput, postquam haec verba quae nunc ex Davide protulimus, citavit, haec verba subiungit: „ In „ quo perspicue demonstratur perditionem & iteritum, „ non abolitionem in nihil, sed commutationem sonare „ in melius. Neque enim illud quod in alio loco scriptum „ est: (Esa. 30.) *Luna fulgebis ut Sol, & Sol septuplum „ lumen accipiet,* iteritum significat pristinorum, sed „ commutationem in melius. Quod ut possit intelligi, „ nostrae conditionis ponamus exempla. Infans cum in puerum creverit, & puer in juvenem, & juvenis in virum, & vir in senem, nequaquam per singulas aetates „ perit. Idem enim est qui prius fuit: sed paulatim immutatur, & aetate pristinae perisse dicitur. Quod intelligens & Paulus Apostolus loquebatur: (1. Cor. 7.) „ Praeterit enim figura hujus mundi. Consideremus quid dixerit, figura praeterit, non substantia. Haec tenens Hieronymus. In cuius verbis aperta satis est veritatis intelligentia. Praeterea, Salvator noster apud Mattheum cap. 24. ait: *Caelum & terra transibunt.* Quae Salvatoris verba (ut beatus Hieronymus in commentariis super Psalmos docet) idem docent quod Propheta David in Psalm. 101.